



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 105. Wormatiensium Judæorum Synagoga a Lutheranis destructa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

horæ concederetur, pro farcinis colli- Sæc. XVII.
gendis, egressis vero tuti commeatus A. C. 1615.
fides fieret publica. Horum neutrius
cum repulsam tulissent Judæi, inter la-
crimas, querelas, & ejulatus Vor-
matiam convasatis magis pretiosis ex-
cessere.

§. CV.

*Vormatiensium Judæorum Synagoga
a Lutheranis destructa.*

Dum hæc ita gerebantur, duo Con- Cont. Sleid.
sules rerum adhuc ignari in me- p. 4. fol. 255
dium urbis forum prorupere, sciscitan-
tes, quorum auctoritate, quibusve de
caussis tempore ac more prorsus alienif-
simo hosce miseros ad tam repentinam
fugam compellerent? ad quæ verba,
qui ceterorum partes susceperat, hæc
reposuit: „nos Hebræorum usuris ex-
„carnificati sæpissime auxilium malis
„quæsvimus, Senatorias etiam & Con-
„sulares fores pulsavimus, vobis & Ju-
„dæorum Patrónis semper ad nostra
„damna & lamenta mutis: nunc ergo
„a Magistratu neglecti, ne nosmet ipsos
„negligere videamur, causam nostram
„tueri coacti sumus, atque Hebræos
„exulare jussimus, non alia auctoritate,
„quam immunitatum nostrarum, Cæ-
„saris ac Dei. Cum autem ad hoc re-
F f 5 „sponsum

Sæc. XVII. A.C. 1615. sponsum fremmerent Consules, atque in hujus violentiæ Judæis intentatæ auctores carcerum minas jacerent, non unius, sed omnium & singulorum totius urbis civium hanc mentem, votumque esse succlamabant: nec his contenti, insuper Synagogam, quam octodecim sæculis substitisse gloriabantur Judæi, necnon vicus Judaicos, domos & cæmetria per plures dies demoliuntur, ita, ut nec lapis quidem super lapidem relinqueretur, sexcentis & amplius civibus ad tam furiosas demolitiones operam conferentibus.

Hæc dum insana contentione aguntur, denuo Consules unacum Senatoribus aliquot, Ministris & Tabulario publico superveniunt, & quis civium primus demolitioni manus, aut ad cujusnam imperium admoverit? sciscitantur. Verum denuo responsum, hanc omnium civium esse sententiam: sic tum quidem rejecti Magistratus, res tamen tota diverse diversos sensim affectit, & seditiosos quidem ad majorem indies audaciam, Consules vero ad spectatæ auctoritatis suæ vindictam succendit. Porro die vigesima quinta Aprilis Schonbergius Præfectus Heidelbergensis, Electoris jussu cum sex belli tormentis, & quatuor armatorum millibus non sine Magistratus consensu urbem ingressus est,

est, convocatisque in Curiam civibus, factaque in præcipuos hujus tumultus auctores inquisitione postulabat, ut civēs novo fidei juramento sese Senatui obstringerent, hi vero responderunt, se nunquam Magistratui obstitisse, nec etiam ejusmodi homagium recusare: nihilominus centum & quinquaginta civēs carceri dabantur. His peractis, Elector Cæsarem de tota rei serie datis literis certiolem reddidit, exponens, quod nec in Cæsareæ Majestatis vel Imperii, nec in ipsius Vormatiensis civitatis præjudicium, sed unice pro vindicanda Cæsaris & Magistratus auctoritate, & prævertenda majori animorum dissensione hanc expeditionem suscepisset. Tandem anno sequenti die vigesima sexta Martii Cæsaris delegati in urbem venire, ubi productis e carcere captivis hæc prælegebatur sententia: „Jurium Doctor, qui tumultuantium „civium causam egerat, ab urbe, Ele- „ctoratu Palatino & Spirensi Episcopatu „exulet, mille insuper florenis mulctæ „nomine persolutis: ex captivis unus „in suis ædibus includatur, relicta dun- „taxat Ecclesiam accedendi facultate: „tres vero virgis cæsi finibus Imperii „excedant. Hac sententia executioni data Electoris copix statim Vormatia egressæ, atque ad suos reversæ sunt.

§. CVI.

Sæc. XVII.

A. C. 1615.

§. CVI.

Brunsvicensium civium turbæ recru-
descendentes.*Merc. Gal-*
*lob. tom. 10.**l. 1. §. 4.**Ludolph. l.**XV. c. 2. n.*

4.

Jam anno priori Wirtembergicus Dux Brunsvicenses cives ad concordiam cum ipsorum Senatu ac Duce Friderico reducere nitentur, hanc in rem indicto ad Februarii initium conventu; cum vero præstituta die cives non comparerent, ac insuper in Consules suos acrius sæverent, Henricus in seditiosos hosce jam a Cæsare proscriptos edictum promulgari jussit, vi cujus omnibus & singulis prohibitum, ne quicquam in hanc urbem inferant vel efferant, vel ullum cum ipsis commercium habeant, sed indicta capitis pœna ab eorum conversatione penitus abstineant: Verum hujus legis severitate civium pertinacia frangi haud poterat, rursus igitur hoc anno Anseaticæ civitates per suos Deputatos, qui pro Brunsvicensibus agebant, primum Hannoveræ, dein Ritterhusii habitato conventu de pace concilianda cum Friderico Ulrico Duce egerunt, propositis hisce concordie legibus, ut cives quotannis ingentem pecuniæ summam Duci numerarent, eique arcem in urbe exstruendi facultatem concederent, nec non portas adventanti die nocteque aperirent, retentis tamen in possessione sua clavi-